




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-549387-p0001-0

DFG



*Disceptatio*

[De corpore Mosaico à DEO  
ipso sepulto,

## Actu Oratorio

TORGÆ ad V. KAL. No:  
publicè refingenda.

Ad qvam Acroasis

## Excellentissimos Dominos & Vi-

ros Honoratissimos, literis imprimis ex ani-  
mo faventes

Omnī Humanitate prolixius  
invitat

## M. JACOBUS REICHMANNUS,


RECTOR.

---

TORGÆ,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ HEMPI.

1674



I. N. J.

**A**D sempiternam divinarum rerum memoriam pertinere censuit DEus gloriosus, Sanctusq; Spiritus, præter illas de cœlestium Geniorum in terris custodia annotatas egregiè in codice divino sententias, extare pariter illustria exempla Angelicæ vigilantiæ & alacritatis, qvà sponte suâ Spiritus illi administratorii prope-rant, festinantqve, non tantum per universam vitam hominum divina confidere mandata, sed hâc constantiâ adeò usqve perseverant, ut nec in extremo Spiritu, animâ jam à corpore solutâ, summi sui Moderatoris parere auctori-tati arguantur desissem, Quemadmodum enim longè hu-manæ conditionis culmen supergressi, ac DEO præcæte-ris creaturis proximi, in qvibus nescias, utrumne fidelita-tem qvam creatori præstant, an promptitudinem & amo-rem singularem erga genus nostrum admireris: ita satis documenti suæ qvidem fidelitatis DEO, nobis verò haud facti favoris probasse videri poterant, si nondum die nos:râ functis adfuisse, suoqve functos munere viventium corpora præsidio satis tuto muniendo nos ipsos habeant testes locupletes. Jam verò omnes homines summos & qvè arque imos solicitissimo, & plusqvam humano affectu pro-seqvuntur, cipiuntq; iis favore nullo die terminando, & si qvos charos habuerunt in vivis, postqvam fortè fato de-sierunt esse, suo amore complecti indesinenter, & pristinæ custodiæ genus prolixè & cumulatè mortuis quoq; præ-standum nunqva dediscant. Scilicet illos, ut excellen-tissi.

tissimā sapientiā præditos Spiritus latere non potest, qvanticopere infensissimus humani generis hostis nullo propè nostro erga illum merito, præterquam qvod DEum qvotidiè offendemus, nos maximum in discrimen præcipites & agere, & venire, gaudeat, unicè moliens, ut unā veluti corpora, ita animæ pariter exitio sint & horribili expositæ morti, eiisque sempiternæ. Quorum alterum quidem evitare non possumus, alterum autem tantum abest, ut in eo triumphet, ut se frustratum potius atq; irrisum doleat, adeoq; extrema tumultandi ac invidendi libidine saviat. Redire enim ad antiquum suum non prorsus abstinet, & quemadmodum in ipso velut limine ac aditu vitæ nostræ insidias struendo nullum momentum prætermittit; ita potissimum in eo occupatus est, ut si quis illi præter spem impiam elapsus bolus, particulam saltem exiguum quamvis, post perfunditionem vitæ, sibi cessisse gloriari sustineat. Sed quis tam omnipotenti Domino, qui jure suo nos in vita pariter ac morte sibi suos possidet totos, ausit nos avertere & abalienare? Prodit quidem adversarius in eo maximè suum, non dicam, livorem, quem post fata quiescere nemo non novit, sed odio usq; refertum pectus est, ejus ut ad requiescendū ossibus locum benignè concessum identidem solicitare & mortuis injuriam facere nullus vereatur. Quamdiu contigit Mosen in his terris interesse viuis, vitæ suæ rationem is semper ita constanter tenuit, ut tanto adversario non una vice insidianti sibi DEI robore induitus par esset, quacunque ab eo occasione peteretur, semper hostis imminentis rabiem prudenter effugit, quâ nihil æqvè horrendum ac immane in universo mundo fingi potest & haberi. Postea verò quām sine vita sortitus fuerat, ne quidpiam, quantum in se esset, intentatum reliquisse videretur, Enī corpus tam Sancti

Viri à D E O ipso clam reconditum inquietando scelus ultimum aperit, & suam invidiam odiumq; adversus eum inter media cinerum gliscere adhuc & vigere, nimis quam satis declarat. Id enim fuisse temporis, quo eum litem de Mosis corpore movisse arbitremur, liquidius constare poterit, si quis, quæ de Vita ac obitu tanti ductoris literarum monumenta prodiderunt, diligenter excutere non refugerit. O factum infernali cruciatu, & si quid gravius dici potest, expiandum! Quod, Tu Draco infernalis, Tu Angele perditionis, DEum vincere, DEum superare, DEIque Omnipotentiæ & severitati impunè illudere præsumas. Itane odii illius, quod tuum, pessime omnium, pectus occupaverat, & quo jam inde à mundo condito adversus conditorem optimum Max. flagasti indesinenter, nondum extincta interière semina? Quonam tuo jure bellum DEO indixisti? cui nemo hostis est, quin bellum eodem momento populo ejus indicare necesse habeat. Et vicissim, cum plurimum clavis ac noxæ in nostrum invehis humanum genus, non potest fieri, quin DEI ipsius arma irrites eumque quam maximè suorum experiaris vindicem. Tu nec fieri posse existimasti, ut tui simillimis probari possit, Te esse hostem divini Numinis, nisi & populo illius esses malus ac inimicus, aut inter eos ista tua quondam alienatione ad atrocissima facta pariter perpetranda aliquot tuo nefario impulsu provocatos exponeres? Quorsum enim spectabat hæc tua contumacia in contendendo? An decertare voluisti de corpore sancto ex Moabitarum regione parum religiosâ ad magis sacrum & nobiliorem locum transponendo? Hoc quidem beneficium fuerat ipsis ethnicis haud infrequens. Quippe qui pro corporibus præstantium virorum saepius honorem ejusmodi sepulturæ decreverunt,

qui

qui maximus haberi poterat mortuo: Sin istributus mi-  
nus erat, aut viliori fortè & non adeò claro conditum re-  
periebatur corpus optimè meriti, commutandum esse  
censebant, & inde ad nobilioris aliquod monumentum  
magnâ pompâ ac solenni ordine transferendum cura-  
bant. Tua verò, nequitarum Genie, quæ sit grati-  
tudo, tot crudeles & supra omnes Tragoëdiarum  
atrocitates horrendi passim testantur ludi. An circa  
sepulchrum forte inventum facillimè de Mosis Zelo &  
pietate detrahi posse credidisti? Ipse enim Ductor &  
Heros divino robore munitus non tulit idololatricum  
cultum, cui indulgendo populus aliquando moribus  
perversis ita prolapsus erat, ut omnium opibus refre-  
nandus atque coërcendus esset. Illud profectò est. Cum  
non amplius apertâ vi nocere poteras, calliditate vafer-  
rimâ ac fraudibus, quibus egregiè polles, grassandum ti-  
bi existimabas, istamque Gentem sub sanctitatis non-  
nullâ ac pietatis specie ad idolatriam manifestam se-  
ducere cogitabas, ut DEO jam non amplius, sed Genio  
infernali militare indies assūserent. Illud verò fuisse  
metuendum, ne religioso sepulchri Mosaici cultu, vel  
reliquiarum ejus studio' verum DEUM se colere pos-  
se ac debere arbitrarentur, D. CHRYSOSTOMO corda-  
tè rem exponenti potius adstipulamur, quam Oecu-  
menio in diversum ab eo abeunti. Sed benè res ha-  
bebat. Eò enim Moses pervenerat, ubi nulla eum am-  
plius urgebat solicitandi vis & causa: supra omnes  
turbas vicesque positus securus agebat de corporis  
reliquiis, in quas nihil omninò juris habere pote-  
rat, qui cœlestibus adversabatur. Rumpatur licet,

terram & mare misceat hostis, à D E O custoditos ni-  
hil planè ferit adversi, ac ne tangit quidem. Habent  
pii semper suas juxta latus sibi copias, quas cuilibet eo-  
rum maximo solatio & gaudio omnium nostrum polli-  
citus est D E U S. Quæ quamvis in cœlestis Regis mi-  
nisterium ascriptæ & cooptatæ sint, non piget tamen  
magnoſ & Sanctos Spiritus nostrum quoq; corporum  
custodiam fuscipere, & quod proprium naturæ ſuæ ac  
velut innatum, noſtris commodis non invidere. Cùm  
omnibus enim, tûm ſingulis attributi ſunt tâm strenui  
cuſtodes, qui ita rerum cuiuslibet curam habent, ut  
contra multiplices caſus, ægritudines & dolores unâ  
cum corporibus animas quoq; & quicquid in vita cha-  
rum nobis eſt, tutentur ac cuſtodian. Id quod ſatis  
probant & teſtantur infinita exempla veterum pariter &  
recentis memoriaꝝ per om̄nem vitam conſpicua, & vel  
maximè ex unico illo Mosis, cuius antea mentionem  
fecimus, & adhuc peculiari actu & narratione facturi  
ſumus, facilè cuivis maniſtum & evidens erit. Egre-  
giè profeſtò, & prout decebat Angelicum ordinem,  
cui nihil magis curæ & cordi eſt, quâm D E O addicteſ  
ad eſſe präſtò, operam ſuam navare präministrando,  
quos indulgentiſſimi Patris omnium bonitas ſartos te-  
ctosq; eſſe jubet.

Quo circa ſimus grati erga D Eum Angelorum con-  
ditorem präpotentem pro iſigni ejus & maximo benefi-  
cio, quo präter cætera nos abundè per omnia momen-  
ta beat, cœleſti ſatellitio nos ipſos & res noſtras ſiþando  
quaqua verſum, inq; eo mittendo maximè ſe exhibentem  
quotidie benigniorem. Nunquam enim denegat peſen-  
tibus, nec avocatos cupit, ſed poſt obitum etiam miſte-  
rio conſtantissimè fungi jubet, donc nihil ulterius no-  
cere

cere queat, aut horridius quid, vel à morte, vel à Diabolo nobis metuendum sit.

Hujus igitur rei gratiâ, ut gratitudinis numeros implere incipiamus, nostrique ad idem cumulatius præstandum mature assuescant, celebrandum hoc beneficium statuimus publico in confessu, sumpto argumento certaminis illius, quod inter Archangelum Michaëlem & Archidæmonem de Mosis vatis ac Legislatoris sepultura ortum fuisse acerrimeq; motum Judæ Apostoli literæ sacræ nobis aperuerunt. Etsi verò in universa Christiani hominis vita mutuorum præliorum, quæ inter sanctissimos & nequissimos spiritus intercedunt, memoria vigere debet perpetuò, tamen hoc tempore præcipue recolenda, & paulò accuratius consideranda venit, quo Ecclesia solennitatem ejus nobis inculcat, eiq; ut vacemus decenter non uno nomine invitat. Et sanè quamplures adsunt causæ, quæ universos ad id genus pietatis adducere debent. Enim verò si Scholæ, si templis, si Reip. & tectis salus omnimoda hactenus à D E O benignissimo fuerit impetrata, si, cum nihil in humanis præsidiis spei esset positum, in partes nostras copiæ illæ cœlestes unicè venire dignatæ sint: si deniq; inter extrema eniteant hi comites & contra quoslibet insultus, artes, technas, ac pericula nos incolumes & invictos præstent, sartas tectasque sarcinulas quoq; nostras diligentissimè tegant, quis non DEI auxilium celebret? quis tantæ industriæ, & promptitudini tantæ non tribuat laudem? quis non tanto magis huic studio incumbere oportere sentiat, quanto magis D E I ope atque auxilio, ubi vehementissimè fervent adversarii nostri consilia, quotidie indigemus, ut pro eo clementer prestito prolixissimos omnimodo honores, quantum in hac mortalitate fas est, habeamus omnium Arbitrio & Imperatori cum gratiis sempiternis.

Hunc



Hunc pleni & fidei & spei imploramus devotis animis,  
ut de novo subinde sibi devinctos fortissimis illis Heroi-  
bus custodiendos porrò singulari curâ committat, ut  
acingant se, ut semper paratissimi sint cùm ad prælian-  
dum contra hostes, & quidquid monstrorum perditio-  
nis princeps exercet, tum ad fovendum nos, & Scholam  
& Templa, & universam civitatem. Sic tandem choro  
Angelorū aggregati, & agmine juncto, sine ulla intermis-  
sione, Nomen Sacro Sanctæ Trinitatis, quod in brevissimo  
spatiō hujus curriculi venerati quidem sumus utriq[ue],  
sed nondum æquali, verum dispari admodum concen-  
tu, redintegrando autem tunc plenissimâ voce, & con-  
cordibus & consociatis choris, veneraturi sumus æter-  
num. Hisce præmissis prolixè & omni honoris genere  
DOMINOS nostros, Dominos venerandos, Ephoros, Pa-  
tronos, Inspectores & Fautores invitatum venimus, eâ qua  
par est, submissione rogantes, ut Actum hunc in Divini  
Nominis gloriam institutum, suâ Gratiâ, Favore ac Præ-  
sentiâ ampliorem reddere haud graventur. Et DEO glo-  
rioso rem gratissimam se facturos sperent, & nobis no-  
stræq[ue] scholæ tantum beneficium tributuros, quantum  
fieri poterit maximum, idq[ue] omni honoris & officii gene-  
re pro viribus demerendum. P.P. Torgæ, II X. Kal. No:  
A. C. M. DC LXXIV.

*Perorantium nomina sunt hæc:*

1. CASPARUS PAULUS Jahn/Torgensis Misnicus.
2. JOHANNES ZACHARIAS Krause/Torgens. Misnicus.
3. JOHANNES CASPARUS Meißner/Wittebe g Saxo.
4. CHRISTIANUS Laibsch/Torgensis Misnicus.
5. MICHAEL Grieben/Gransoviensis Marchicus.
6. JOHANNES HEINRICUS Krause/Torgens. Misnicus.

F I N I S.

99 A 6971



3

Sb.


V3-12

Rheo





**FarbKarte #13**



B.I.G.

80

*Disceptatio  
Decorpore Mosaico à DEO  
ipso sepulto,  
Actu Oratorio  
TORGÆ ad V. KAL. No:  
publicè refingenda.*

Ad qvam Acroasim

**Excellentissimos Dominos & Vi-**

**ros Honoratissimos, literis imprimis ex ani-**  
**mo faventes**

**Omnī Humanitate prolixius  
invitat**

**M. JACOBUS REICHMANNUS,**

RECTOR.

---

**TORGÆ,**  
**Typis JOHANNIS ZACHARIÆ HEMPL.**

*1674*